

lapsus quotidie confessionis munus peregit: nullo alio cibo præterquam ss. eucharistia per dies quadraginta victitans, Dei justitiam laudavit: « Justus es Domine. Quia quadragesima tempus non jejunans, exegi, saltem coactus idem tibi jejunium exsolvam, » privatim thesaurum distribuit, Ludovico filio omnes injurias remisit, etc. Baron. anno 840. Ita Ferdinandus Castellæ et Legionis rex, anno Dom. 1063. sentiens se deficere, deferri se regio habitu ad ecclesiam fecit, ibique fixis genibus regnum Deo resignavit, exuens regalem chlamydem, deponens gemmatam coronam; et pro chlamyde, induitur cilicio, et aspergitur cinere pro aureo diademate, atque ita biduo ante altare vitalem agit pœnitentiam, tandemque inter manus episcoporum tradit spiritum, Lucas Tudensis et ex eo Baron. anno 1063. Quando Josue transiturus erat cum populo Israel Jordanem, præcepit principibus populi, ut irent per medium castrorum et imperarent populo: *Præparate vobis cibaria, quoniam post diem tertium transibitis Jordanem, et intrabitis ad possidendam terram quam Dominus Deus vester daturus est vobis*, Josue I. forte etiam nobis post tres aut paucos dies transeundus est, *fluvius judicii*, scilicet divini. Itaque præparemus nobis cibaria, opera pietatis et pœnitentiæ, juxta id Ecclesiastici IV. *Ante obitum tuum operare justitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibum*. Hac de causa noster Josue, id est, ordinarius monuit nunc parochos omnes, ut hanc provisionem impararent populo.

IV. Recurre ad sanctos. Si enim Aaron continuavit iram Dei per incendium grassantem in Hebræos, dum stans inter vivos et mortuos obtulit pro illis thus, Numer. XVI. cur non item sancti alii, nunc cum Deo in gloria uniti præstare nobis queant, ut medios se constituent inter nos ac Deum, et extinguant pestilentiae ignem, paulatim ad nos adrepentem? Certe Sanctus Gregorius Thaumaturgus, quas ædes Neocæsareæ intrabat tempore pestis, eas a peste liberavit; unde certatim rapiebatur ab incolis, ad sua cujusque domicilia, Gregorius Nyssen. in ejus vita: Sanctus Rochus, dum Italiæ urbes peste infectas peragraret, signo crucis sanavit, quos peste tactos reperit; et cum tandem et ipse inficeretur, ab angelo curatus est. Potuere hoc isti in via, et non poterunt in patria?

Imprimis recurramus ad B. Virginem, communem nostram matrem. Hujus enim imaginem, a S. Luca pictam cum tempore gravissimæ pestis S. Gregor. Romæ circumgestaret in supplicatione solemni (in qua unius horæ spatio

octoginta homines mortui conciderunt) visus est in summitate molis Hadrianae angelus recondere gladium in vaginam: unde contagies maxima ex parte cessavit: qua propter in hodiernum moles illa: *Castellum s. angeli* nuncupatur, Baron. anno 590.

Deinde, ad angelos custodes ut qui non animarum tantum, sed et corporum nostrorum curam gerunt. Anno Domini 1534. cum in Brasilia terra lues locum quemdam occupasset, et complures icti quotidie caderent, patres soc. Jesu supplicationes instituere, novies repetendas, ad implorandos angelos custodes, ut sic novem choris angelorum supplicationes responderent. Hic alii flagris se cædebant, alii manibus faces sustinentes, litanias decantabant. Nec incassum. Expleto enim supplicationum prædicto numero, lues cessavit, histor. societ. Jesu, l. XIV. n. CXIV.

Tertio, ad sanctos urbium et Ecclesiarum nostrarum patronos. Si enim Paulo naviganti omnes animas, quæ in ipsius navi erant, numero 270. donavit Deus, ut in naufragio omnes incolumes evaderent, Act. XXVII. non dubium quin etiam patroni concederent sibi animas impetrare a Deo possint. Ita S. Rhemigius, cum palla de ejus corpore sumpta circumferretur in processione, liberavit a lue Rhemenses suos: Eucharis et Maximinus Trevirenses suos, etc. ut alibi vidimus.

Quarto, ad sanctos, qui in hoc genere præsidii celebrantur, uti ad S. Sebastianum, de quo refert Paulus diaconus, l. VI. cap. V. Cum anno 680. pestis ingens vastaret urbem et nonnullas Italiæ civitates: tunc multi visi sunt boni et mali angeli obeuntes civitatem, et ex jussu boni malus venabulo, quod manu ferre videbatur, quatiens ostia domorum; et quoties percussisset, tot de eadem domo, die sequenti homines interiere. Tunc cuidam revelatum est, pestem non cessaturam, donec in basilica Sancti Petri ad vincula, B. Sebastiano martyri altare poneretur: quo facto, delatisque ad urbem reliquiis, pestis quievit. Celebris etiam est hoc nomine Sanctus Rochus, cujus imago cum in Concilio Constantiensi publica processione circumgestaretur tempore pestis, tum cessavit lues.

V. Denique, ne velut diluvium et incendium Sodomæ obruat nos pestis, dum edimus, bibimus, etc. seponendæ sunt ineptæ lætitiæ et levitates, ut choreæ, comessationes, aleæ, et similia, quæ homines a salute sua avocant, Deumque ad iracundiam provocant, dæmonem vero tripudiare faciunt. Et vero quis talibus afficiatur in tam grandi periculo et tristi mortis

spectaculo? *Et tua res agitur, paries cum proximus ardet*. Certe assentator ille Dionysii regio licet in throno positus et regia mensa exceptus esset, lætari tamen haudquaquam poterat, quamdiu evaginatum supra se gladium tenui filo pendulum vidit: qua igitur ratione lasciviant Christiani, videntes supra se virgam Dei vigilantem, et infra se succensam inferni ollam? Vidi lacum oppido Sancti Wolfgangi adjacentem, et in eo locum ad radicem montis Falkenstein, ubi feruntur convivæ nuptiales supra lacum glacie concretam choreas instituisse: ruptaque glacie omnes, præter tibicinem, qui saxo insidebat, periisse, in penam haud dubie temeritatis. Sed quid minus agunt, qui tam periculoso et tristi tempore, ejusmodi levitatibus et lasciviis vacant: quid est vita hominum in tam periculoso præsertim statu, nisi fragilis glacies? Et in hac saltare lubet, ludere et ineptire? Et quid si Deus instituat vobis choream mortis? Certe juvenes magis obnoxii sunt pesti, quia magis sanguinei, tales autem ad inflammationem et putredinem magis apti sunt, et ampliores habent meatus, ut docet Marsil. Ficinus, epidem. antit. c. III. habent ergo cur non minus sed magis sibi metuant, quam senes. Imprimis vero cavendum omnibus, ne quis alteri vel sibi pestem imprecet. Quid enim si hæc tela in te recidant? Et quid mirum, si tandem veniat malum, quod toties vocatur?

## CONCIO VIII.

## DOCUMENTA.

- I. Discimus quatuor primaria Dei attributa: 1. Potentiam. 2. Sapientiam. 3. Bonitatem. 4. Justitiam. — II. Discimus rationem castigandi fontes. — III. Acquiescendum vocationibus divinis. — IV. Quomodo accedendum ad s. communionem.

## THEMA.

*Ecce prandium meum paravi, tauri mei et altitia occisa sunt, venite ad nuptias*. Matth. XXII.

Prandium, auditores, præcedere cœnam solet. Cœna nuptialis convivii in cœlo nobis exhibebitur in Ecclesia triumphante: prandium hic exhibetur in Ecclesia militante. Quisquis ergo vult degustare cœnam illam, necesse est, ut prius veniat ad hoc prandium. Pofro hujus prandii duæ potissimum epulæ nominantur, in hodierna parabola, tauri et altitia; quia homini christiano alia facienda, alia scienda et credenda

sunt. Scienda et credenda sunt fidei mysteria, ad salutem necessaria; et hæc sunt quasi altitia seu volatilia, ad contemplationem pertinentia: facienda sunt, quæ Christus præcipit et Ecclesia: decalogus, quinque Ecclesiæ præcepta, sacramentorum susceptio, opera virtutum; et hi sunt quasi tauri, ad laborem nati. Utraque hæc fercula toties fere coquantur et apponuntur vobis, quoties ad vos habetur aliqua concio. In concione etenim seu doctrina evangelica vocat vos cœlestis Rex per servum suum concionatorem ac cœlestes nuptias, et partim instruit vos, quid oporteat credere et sentire de divinis rebus: partim hortatur et movet; ut quæ agenda sunt, agatis. Jure igitur vel unicam concionem prandium hujusmodi appellare possumus: ut merito sibi timere debeant, qui ad prandium hoc raro vel nunquam veniunt. Imitantur enim Judæos, qui neglecto Christi prandio iverunt potius ad villas et negotiationes suas, ideoque non solum a prandio Ecclesiæ militantis exclusi sunt, sed etiam a cœna Ecclesiæ triumphantis. Quare, auditores, facite vos officium vestrum, et venite ad nuptias: ego faciam meum, et proponam vobis evangelicam doctrinam, in qua reperietis partim altitia; partim tauros, hoc est, alia scienda, alia facienda: non epulas materiales, quia S. Aug. sermon. XXVII. de verb. Dom. ait: *Major est refectio mentis, quam ventris*.

I. Igitur discimus ex parabola hodierna, quanta sit Dei potentia, sapientia, bonitas et justitia; quatuor illa primaria ejus attributa, quibus gubernat mundum.

Potentia elucet primo, in tam magnifico nuptiarum convivio, ad quod vocavit omnes hominum nationes, tamquam sibi subditas, et venire obligatas, sub gravissimo supplicio, si venire recusarent. Magnus fuit rex Assuerus, qui regnavit ab India usque Æthiopiam super centum viginti septem provincias, ideoque: « Fecerat grande convivium cunctis principibus et pueris suis, fortissimis Persarum et Medorum inelytis, et præfectis provinciarum coram se, ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem atque jactantiam potentiæ suæ, multo tempore, centum videlicet et octoginta diebus. Cumque implerentur dies convivii, invitavit omnem populum, qui inventus est in Sisis a maximo usque ad minimum. » Sed quid hoc convivium respectu illius, quod instruxit Deus? Merendula una fuit, bolus fuit. Omnes terræ reges verius reguli sunt, imo nihil sunt, si cum cœlesti comparentur Rege, qui imperat toti mundo, vivis et defunctis, nec uni aut alteri populo sed omnibus omnino mortalibus convivium paravit:

nōn ex epulis materialibus, et terrenis, sed spiritualibus et cœlestibus: non duraturum centum octoginta diebus, sed per omnem æternitatem. In hoc igitur convivio verissime ostendit Deus divitias gloriæ regni sui ac magnitudinem atque jactantiam potentiæ suæ. Secundo, elucet in tam potenti contemptorum ac rebellium subditorum coercitione; siquidem missis exercitibus suis perdidit illos, et civitatem eorum succendit. Rebelles illi fuerunt imprimis Judæi, quos immissis Romanorum, Titi et Vespasiani, exercitibus arctissima obsidione pressit, enecuit partim, partim captivos adduxit, et per orbem dispersit, ubi illos usque in hodiernum diem per annos fere 1600. potenti virtute quasi sub pedibus premit, ut nulla vi resurgere queant; ad hæc templum eorum et urbem succendit opera militum, etiam contra edictum imperatoris, ac licet is magnis vocibus et imperiis juberet extingui incendium, id tamen fieri nulla humana ope potuit, perurgente Judæos fato divino; quo etiam præmente jacent etiamnum vel ut vasa figuli contracta, sine rege, sine regno, sine templo, sine sacrificio, sine sacerdotio, nulla potentia reparandi. Solantur quidem se miseri spe redemptionis promissa sibi a Deo, præsertim Levit. XXVI. ubi de ipsis ait Deus: *Et tamen etiam cum essent in terra hostili, non pernitus abjeci eos, neque sic despexi, ut consumerentur, et irritum facerem pactum meum cum eis.* Et quia prima vox hujus periodi Hebraice est aph, id est, attamen: aph vero grammatica lingua significat simiam, hinc ipsi hanc periodum vocant auream simiam, et quoties eam in synagogis legunt, mire jubillant atque exultant. Sed veræ ipsimet simiæ sunt; qui tam inani voce et verbi Dei corruptela sibi blandiuntur. Loquitur enim Deus ibi de tempore Judæismi duraturi et veteris legis: quæ quia a Christo abolita est, promissio illa Dei finem habet. Videmus ergo Dei potentiam, qui Judæos uti olim per regem Assyriorum quasi per novaculam conductam, ut vocatur Isa. VII. ita postea per regem Romanorum Titum aliosque abrasit a terra sua tanta facilitate, quanta novacula pilos capitis abradit. Habet ergo Deus omnis generis exercitus angelorum, hominum, uti Turcarum, Tartarorum, hæreticorum, quin et exercitus creaturarum omnium, locustarum, canarum, muscarum, grandinis, murium, etc. quibus nos in momento, si vult, perdere potest. Hinc dicto, c. VII. Isa. dicitur: *Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo flumine Egypti (hoc est Egyptiis) et api, quæ est in terra Assur, (Assyriis) et venient, etc.* sibilu tantum uno evocabit innumeros exercitus.

Secundo, quanta Dei sapientia. Nam imprimis locum convivii ingressus statim inter tam multos vidit ibi unum non vestitum veste nuptiali. Quæ res aperte ostendit summam Dei sapientiam, qui uno intuitu omnes foris et intus novit, ita ut nec unicus homo, vel unicus ejus defectus ipsum latere queat: neque unica quidem palea in immenso frumenti cumulo. Atque ut sciamus istum etiam in intimis visceribus regi cognitum fuisse, ad regis interrogationem illico obmutuit. « Quia, ut ait S. Gregorius, in homil. super hoc evang. in illa districtione ultimæ increpationis omne argumentum cessat excusationis: quippe quia ille foris increpat, qui testis conscientiæ intus animum accusat. Ego, inquit, sum iudex et testis, etc. »

Tertio, quanta Dei bonitas, quasi omnes generis homines, Judæos et gentiles vocat ad cœlestes nuptias suas, imo ut essent sponsæ Filii sui, quibus nuptias has instituit; quodque magis mirum, vocat tot legationibus, suavissimis quoque illecebris selectarum epularum jamjam paratarum; et quod summe mirandum, vocat etiam eos, quos præseit non venturos, sed contempta vocatione ad sua commoda abituros. Hoc pacto vocavit Pharaonem, et Christus Dominus Judam quam plurimis beneficiis, quos tamen futuros obstinatos scivit. Ad hæc postquam Judæi nuptias spreverunt, et servos Dei affligerunt atque occiderunt, non continuo illos perdidit, sed spatium resipiscentiæ eis tribuit, triginta et octo annos post passionem Christi; quibus exactis venit primum Vespasianus cum Tito filio, et excidit Jerosolymam. Verificatum est igitur hic, quod olim Isaias, cap. XX. dixit, Judæis: *Propterea expectat Dominus, ut misereatur vestri.*

Quarto, quanta Dei æquitas, qui tandem punit quidem refractarios, tametsi non prius quam cognita quodammodo eorum causa et patefacta iniquitate. Propterea enim inducitur rex parabolicus intrasse in convivium, ut videret discumbentes; quo modo videlicet olim puniturus Sodomitas dixit: *Descendam, et videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, annon est ita, ut sciam,* Genes. XVIII. ubi vero constat de reorum noxa, tum severissime punit, perdens eos, hoc est, corpore et animo torquens in gehenna, omnibus bonis exuens, et omnibus malis implens. Quam perditionem deprecans Jeremias, cap. X. ait: *Corripe me Domine: verumtamen in iudicio (leniter et paterne in hoc mundo) et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me.*

II. Discimus (maxime qui reges, rectores et

magistratus sunt) processum judicialem et rationem castigandi sontes. Primo, ut non præcipitanter nec incognita causa procedamus ad plectendos reos. Audivimus enim prius intrasse regem, ut videret discumbentes, postea deprehensum reum ejici jussisse. « Veritatem dies aperit, inquit Seneca, l. II. de ira, potestque pœna dilata exigi, exacta revocari non potest. » Faciebat hoc S. Job, qui cap. XXIX. ait: *Et causam quam nesciebam, diligentissime investigabam.* In quem locum scribit D. Gregorius, l. XIX. mor. c. XXIII. *Deus cum omnia illi nuda et aperta sint, mala Sodomorum punivit, non audita, sed visa.*

Secundo, ut cum tranquillitate judicemus, et corripimus delinquentes. Ita enim rex in hodierno evangelio correpturus reum: *Amice quomodo hic intrasti,* inquit, ostendens animum suum nequaquam furore percitum, aut ira inflammatum esse. Ita etiam de Deo testatur Salomon, Sap. XII. *Tu dominator virtutis cum tranquillitate judicas.* Igitur cum de subditis reis sumit aliquis supplicium, servet animi tranquillitatem, ut correptus videat, se non ex odio, sed amore castigari: abstineat probris et contumeliis verbisque furibundis, licet servus vilissimus sit cœdendus.

Tertio, ut memores interim gravitatis atque auctoritatis simus, cum id ratio officii et occasio postulat. Solerter enim advertit D. Hieronymus, in Matth. regem istum parabolicum appellari *hominem regem*, cum ad nuptias vocat; ut cum intrat triclinium velut iudex, puniturus reum, non jam appellari a Matthæo *hominem regem*, sed *regem dumtaxat*. Quare docentur principes et magistratus, ut cæteroqui humani quidem et affabiles sint, cum subditi in officio continendi et vitia plectenda sunt, severitatem induant, quasi non jam homines, sed reges hominum ac vindices scelerum sint, omnibus tremendi. Miro modo observavit hoc Fridericus II. Daniæ rex, qui præter multas regias virtutes, gravitatem comitate ita temperabat, ut nec majestas odium, nec humanitas contemptum ei adferret. Is quando cum familiaribus animum recreare volebat, quasi deposita regis persona: *Agite,* inquit, *amici ludamus, et animum plane solvamus, dum rex abest.* Sic igitur tamquam privatus inter privatos aliquamdiu lusui et joci indulgens, ubi satis jam lusum videbatur, quasi assumpta iterum regis persona, vultu ad gravitatem composito: *Ohe, aiebat, satis est, jam rex rediit!* Quo dicto, omnes confestim summa cum modestia et silentio adstabant jussa regia expectantes, symp. in spec. magistr. sig. LXXVII. Simile consilium dedit S. Bernard. l. IV. de considerat.

papæ Eugenio: *In palatio papam, domi te patrem familias exhibe.*

III. Discimus acquiescere et aures dare vocationibus divinis. Multa sunt, quæ hoc suadent.

Primo, si cogitemus, qui nos vocet. Etenim creator, redemptor, magister, dominus et iudex noster. Decet ergo, ut ei obediamus creaturæ, redempti, discipuli, servi et subditi ejus. Ipse potestatem habet vocandi et imperandi; ipsius enim est regere et dirigere omnia ad suos fines, iis viis et mediis, quibus ipsi placuerit. Quod si rex vocaret ad se famulum suum isque venire recusaret, nonne eum continuo e domo exturbaret? Ad hæc summa gratia est, vocari a Domino Deo. Aman ille primus in aula regis Assueri, summo sibi honori ducebat, quod ad mensam reginæ vocatus esset, eaque re mire exultabat, Esth. V. at quanto majus vocari a Deo ad convivium cœlestis? Agnus audita matris voce, statim ad eam accurrit: perdicis etiam pullus ab aliena matre exclusus, audita legitime matris voce, ad eam advolat, illa relicta, uti legimus Jerem. XVII. cur igitur nos homines audita Dei, legitimi parentis nostri voce, non deseramus alienos, quibus forte adhæsimus?

Secundo, si pensemus, qui simus nos vocati, miseri nimirum et miserabiles; partim boni, partim mali: ad hæc villani aut mercatores, qui egredimur ad villam aut negotiationem nostram: vel etiam mendici et vagabundi, qui in compitis sedemus, stipem colligendo: vel ad exitus viarum divagamur prædas forte agendo et alios despoliando. Tales fuisse videntur, qui ad nuptias vocati sunt, et forte ipsis nos nihilo meliores sumus, miseri corpore et animo. Qui igitur fieri potest, ut non audiamus Deum vocantem nos ad gratiam et gloriam suam? *Surdi, audite,* inquit Isaias, c. XLII. *et cæci intuemini ad videndum. Qui cæcus nisi servus meus? Et surdus nisi ad quem nuntios meos misi? Quis cæcus nisi qui vanum datus est peccato? Tu es ille cæcus, nisi necessitatem, in qua versaris, agnoscas; tu idem quoque surdus es, nisi vocem Domini et nuntiorum ejus audias.*

Tertio, si cogitemus, quorsum vocemur: ad nuptias nimirum, easque regias et cœlestes: ad tauros et altitia omnisque generis delicias, sine fine percipiendas. Quod si de militante Ecclesia loquamur, habet etiam illa suos tauros et altitia, sacramenta videlicet, doctrinam evangelicam, gratiam, virtutes, gaudium cordis, etc. qui bus animum nostrum hinc impinguare et recreare possumus, velut nobiles illi pueri regis Nabuchodonosoris, qui enutriti regis epulis per triennium, ad aulam regis evocati stabant in conspectu re-

gis, Dan. I. B. Franciscus Borgias, cum adhuc sæcularis dux aucupio vacaret, hoc frequenter in ore habebat : feras et volucres carnivoras modicæ escæ gratia agreste ingenium exuere; mansuescere, ac voce hominis accitas statim advolare; hominem vero rationis participem tot bonis ac beneficiis provocatum Deo parere nolle, Ribad. I. I. c. V. Pudenda res et dolenda. Et quam hoc indignum?

Quarto, si consideremus modos, quibus vocat. Imprimis enim vocat non semel, sed bis, ter, variis legationibus, mittens modo hos, modo alios servos, miracula, sermones, libros, internas inspirationes. Subinde monstrat, et promittit tibi grandia bona : *Ecce prandium meum paravi : tauri mei et altilia occisa sunt.* Subinde etiam terret minis, vel aliorum, quos ob contumaciam suam perdidit, suppliciis, ut tu illorum malo sapere discas. Quandoque urget adversitatibus propriis. Tot tantisque legationibus si non acquiescamus, omni prorsus ratione destituti sumus.

Quinto, si expendamus supplicium, quo expectat contumaces, estque perditio et incendium gehennæ. Ubi enim argumenta et rationes nihil proficiunt, ibi accipit Deus flagella, gladium et ignem. Fugit Jonas a facie vocantis Dei, et incidit in furiosum mare, jactaturque in os belluæ. « Ecce fugitivum Dei, inquit Gregorius, I. VI. moral. c. XII. tempestas invenit, sors ligat, mare suscipit, bellua includit et qui auctori suo obedire renititur, ad locum quo missus fuerat, suo reus carcere portatur. » Sed iste adhuc clementi pœna exceptus est, ad correctionem. Non omnibus contingit : plurimi refractarii ejiciuntur mox in infernum et in os ceti tartarei, nec injuria; Dei enim vocantis sinum fugiunt, et ad creaturas se recipiunt, inveniuntque turbulentum mare, cetos et monstra, a quibus devorentur. Quare sapienter ultimi regis servi, post perditionem rebellium, missi sunt in *exitus viarum*, ut vocarent obvios quosque. Quid enim sunt exitus illi, nisi termini viarum? Nihil ergo efficacius ad peccatores convertendos esse videtur, quam considerare *exitus viarum* suarum, finem scilicet vitæ et conversationis suæ, quo tandem perventuri sint, si Deo semper rebelles tam perditæ vivere pergant : finis enim et exitus illorum perditio et incendium est, uti testatur apostolus ad Philip. III. de inimicis Christi : *Quorum finis interitus*, inquit, Græce *perditio*, d. q. in fine perdentur et interibunt, qui sectantur gulam et lasciviam, quorum Deus venter est, voluptates eorum desinent in perditionem et incendium gehennæ.

IV. Discimus accedere ad s. eucharistiæ communionem, cum veste nimirum charitatis seu gratiæ. Quemadmodum enim is, qui sine veste nuptiali repertus est in nuptiis, ejectus est e convivio; ita abjiciuntur a conspectu Dei, qui cum sordido peccati vestitu accedere præsumunt ad regium illud convivium Filii Dei. Debebant in vitati ad honorem sponsi vestire se nuptialiter, seu festive : pari modo ad honorem Christi, sanctissimi et purissimi, Dei et Virginis Filii decet accubituros in mensa eucharistica, indui veste gratiæ, quæ sola ipsi placet : et exui sordidis peccatorum centonibus, quibus solis offenditur.

Quod si dicat aliquis, ad nuptias illas vocatos etiam pauperes esse e compitis et viis publicis, ideoque ægre ferendum non fuisse, si quis sordido vestitu venit, respondeo cum Barradio hoc loco, regem jussisse dari vestes nuptiales convivis, quibus carerent; hominem vero illum eas non acceptasse. Pari modo nolo dicas, non fuisse tibi communicaturo copiam vestis gratiæ, quia eam per pœnitentiam facile habere potes, illic ergo prius a confessario requirenda est. Sane Judæi, si qua ratione, corpore non animo, contaminati forent, non sunt ausi manducare pascha, quod erat typus eucharistiæ. Hinc enim noluerunt ingredi prætorium : *Ne contaminarentur, sed ut manducarent pascha.* Quanto magis decet ut nos Christiani simus puri et immaculati, cum manducare volumus, non agnum illum typicum sed verum illum et immaculatum Virginis Filium, qui tollit peccata mundi? Qua ergo ratione accumbere ad hoc pascha potest, qui paulo ante intravit non prætorium, sed prostibulum? Cæterum non tam corporis, quam animæ puritas requiritur a nobis ut manducemus nostrum pascha. Non curat rex et Dominus noster, si foris niteamus in festivis vestibus : intus et in animo vult nitere nos; quia amicos vult, non hostes. Potest autem foris monstrare quis se amicum, qui in cute est inimicus. Plerique omnes cum accedunt ad communionem, pretiosis se adornant vestibus. Non culpo quidem istud, si ad honorem sacramenti, absque ambitu et excessu fiat. Sed non est iste habitus, quem desiderat noster sponsus. Qui mundo serviunt, similes sunt vulpibus et martibus, quæ pretiosas quidem gerunt pelles, sed carnem habent inspidam et inutilem. Qui vero Deo serviunt, similes sunt capreis, quæ vilem quidem pellem, carnem autem optimam et generosam habent. Illæ post mortem pellibus nudatæ, ejiciuntur in sterquilinum; hæ vero afferuntur ad mensas principum. Illarum finem sortientur

improbi : istarum vero probi. Hæc sit ergo auditor, hæc sit vestis nostra, charitas et gratia, quam nobis largiatur rex cœlestis.

## CONCIO IX.

## MYSTERIA.

I. Quid significant hæ nuptiæ? — II. Quæ causæ hujus contracti matrimonii? — III. Quinam servi et quo missi? — IV. Quid tauri et altilia? — V. Qui invitati venire noluerunt? — VI. Quæ pœna irrogata refractariis? — VII. Quid significat vestis nuptialis? — VIII. Cur unus tantum deprehensus sine veste nuptiali? — IX. Qua pœna plexus, qui sine veste nuptiali deprehensus?

## THEMA.

*Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Matth. XXII.*

Ecclesiam Christi, auditores, duplici agmine comprehendi multoties audistis : militante nimirum et triumphante. Utrumque etiam *regnum cœlorum* sæpius appellatur a Servatore nostro : quia quo triumphans Ecclesia jam pervenit, eo militans contendit : illa quasi civitas regni cœlestis, hæc suburbium est. Propterea etiam Dominus similem convivii parabolam de utraque nobis proposuit, de triumphante quidem parabolam cœnæ ut quæ ultimum diei convivium est, diem claudens, Luc. XIV. de militante vero parabolam nuptiarum seu prandii nuptialis, in evangelio hodierno. Utraque enim habet suas epulas et cupedines; quamquam hæc ad meridiem, tempore laboris; illa vero ad vesperam, tempore quietis. In hac admittuntur boni et mali; in illa vero nequaquam; in hac reperitur homo non vestitus condecenter, ideoque a convivio ejicitur; in illa nemo talis reperitur aut ejicitur. Quam bonus igitur Deus et Dominus noster Christus, qui non solum triumphantem illam Ecclesiam sub descriptione cœnæ; sed etiam militantem nostram, sub typo nuptiarum depingere dignatus est! Vidimus alibi cœnam, typum triumphantis : videamus hodie nuptias, typum militantis.

I. Quid significant hæ nuptiæ filii regis? Resp. primo, unionem et quasi desponsationem divinæ Christi naturæ cum humana. Ita D. Gregor. hom. XXXVIII. in evang. « Cum humanam naturam, inquit, verbum divinum assumpsit, tunc Pater Filio nuptias fecit, quando in utero Virginis humanæ naturæ conjunxit. » Similiter D. Aug. orat. contra Jud. et Arian. c. IX. to. VI.

## IV. PARS ÆSTIVALIS.

« Christus, ait, processit ex utero virginali tamquam sponsus de thalamo suo, in quo utero spirituales nuptiæ celebratæ sunt : Deus conjunctus est carni, et caro adhæsit Deo. » Hanc conjunctionem mox secuta est communicatio idiomatum in Christo, ita ut quod de Deo prædicatum est, prædicetur etiam de homine, et e contra : Deus dicitur nasci, esurire, pati, mori; homo dicitur æternus, omnipotens, immensus, etc. Contractum est hoc matrimonium, ut dixi, in utero Virginis, ubi humana Christi natura secundum animam, statim vidit Verbum tamquam sponsum suum. Consummatum vero in cruce, dicente Domino : *Consummatum est*, ubi Dei Verbum humanitati assumptæ, revera *sponsus sanguinum* factus est, quemadmodum dixit Sepphora Moysi, Exod. IV.

Secundo, conjunctionem Christi cum Ecclesia; quo respiciens Joannes Baptista dixit de eo : *Qui habet sponsam sponsus est*, Joan. III. Et de hac exponit parabolam D. Hieronymus, necnon etiam D. Greg. loc. cit. et alii. Matrimonium hoc ratum habitum est in cruce, ubi Christus sponsam suam sanguine suo emit : consumabitur in die judicii, ubi eandem introducet in thalamum suum cœlestem. In hoc communicavit Christus Ecclesiæ omnia sua merita et bona, ipsumque adeo regnum suum cœleste, promissum quasi in dotem.

Tertio, desponsationem Christi cum quavis anima fidei; de qua apost. II. Cor. XI. ait : *Despondi enim vos uni vero virginem exhibere Christo.* Desponsatur autem anima Christo in baptismo per anulum fidei : adhæret ei per charitatem. In hoc etiam conjugio participat anima bona sponsi sui, gratiam et gloriam, fitque regina quædam, de qua Ps. XLIV. dicitur : *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* In hoc concipit et parit proles speciosissimas, actus virtutum præclaros omnis generis, mediante Christi gratia. Triplicem hanc desponsationem quasi digito notat Deus per Ose. c. II. dicens : *Sponsabo te mihi in sempiternum : et sponsabo te mihi in justitia et judicio (q. d. tuebor te et judicabo ac puniam hostes tuos) et in misericordia et in miserationibus : et sponsabo te mihi in fide.*

II. Quæ causæ fuerunt hujus conciliati matrimonii? Audiamus ad hoc respondentem Alphons. Salmeronem pie et erudite. Causa : « Prima inter alias occurrit, ut cœlestis regni hæreditas prævaricatione parentis nostri principis perditâ recuperatur. Regnum enim amissum et abalienatum melius non recuperaretur, quam per matrimonium contractum inter personam legiti-